

1524. à 11. Jbris

269

Andreas Cricius episcopus Premisli:
ensis, Petro Tomicio episcopo Craco:
viensi, vicecancellario.

92

Reverendissime in Christo pater et domi:
ne, domine benefactor gratiosissime. Redeo
tandem gratia Dei salvo et involumis.
Reliqui Hungariam sedato paululum ut pri:
us scripsi, tumultu populari, quem cum pro:
missis satisfactum non sit, et hostes ex
Severino continuo excursant, ruatque Croa:
tia, nemo dubitat rursus brevi erupturum,
ingensque aliquod malum pariturum.

Turbas Bohemicas et Moravicas satis
ex usu composuimus, in negotiis vero no:
stris longe diversa ferimus ab his que pri:
us agebantur, praesertim de induciis, de ho:
ste et conventu regum, que quorsum, et qui:
bus technis videbantur, omnia abunde di:
dici. Ventitabant enim ad me summatis
plenique, ea quibus cum causas eorum malorum,
de quibus mecum querebantur, et quibus
remedius opus viderent, percontatus essem,
plurima que latebant secreto compari, de qui:
bus coram abunde.

In re Pruthenica ferimus etiam ea, in
quibus erit mature deliberandum. Dominus
magister tametsi spem vultu simulet, pre:
mitur tamen summa egestate et aere alieno,

speque

speque omni subsidiorum destitutus, par-
um appetere videtur, quem cum initio, col-
loqui umque ipsius negligebamus, ipse nobis
ablandiri cepit, et se maiestati regia com-
mendari postulavit, sicque inter nos qua-
si amice discessum est. Sed de his et
aliis coram. Me interim gratia reverendis-
sima dominationis vestrae humiliter com-
mendo. Ex Ostrova die sancti Martini
anno Domini millesimo quingentesimo vi-
gesimo quarto.